



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

Præfatio, seu Nominis Ratio Lvthero-Calvinistæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233



COPPENSTEINI.
 LVTHERO-CALVINISTA.

PARS PRIMA,

THEOMACHIA
 LVTHERO-CALVINISMI,

Triumphantem Ecclesiam impugnantis, Demonstrata, ac Refutata.

PRÆFATIO.

LVTHERO-CALVINISTA, Nominis, Operis rationem, Aliis quicunque.

Lectores mihi duo, reposcere duo videntur.

I. RATIO NOMINIS LVTHERO-CALVINISTÆ.



FFICTA, vt odiosa, Vocabula odi; amo vera & ex re nata. Religionistarum hodie bis gemina fertur appellatio; Vulgarium vna; altera Intelligentium: Vtraque de Vocabulo duplex in publico: ab re autem & veritate quadantenus vna; nec admodum in publico.

I. VVLGARES ab Luthero LVTHERANOS primùm, heu, nouimus: deinde CALVINISTAS ab Caluino descendere cognouimus: LVTHERO-CALVINISTAS verò necdum adhuc quidem inaudiuimus. Nimirum, fortè quia nullus hucusque extitit vocabulo Luthero-Caluinus, qui suo hoc sub nomine doctrinam intulisset novam; aut vtriusque conciliatæ Sectæ duxisset familiam. Qui si vsquam apparuisset hauctenus; iam dudum, reor, sese nec Germania dixisset Lutheranam, nec pars Germaniæ & Galliæ, Britanniaque tota Calvinianam: sed vnà mecum sese nominarent, aut nominari sinerent à potiore, LVTHERO-CALVINISTAS.

)()(2

Ita

AD LECTOREM.

Ita namque *Res & Doctrina* vtrorumque Sectariorum ac *Sententia*, (paucis exceptis) sunt comparatae; vt ab iisdem compositis id compositi nominis ferre necessarium debeat: Aut, si nomen id fugerint, Rem prius, vnde vocabulum existit, fugisse oporteat: Aut Re ipsa sic testante & clamante Nouatoria, ipsi de nemine conquiri iure possint, qui hoc eos nomine Nouo nuncuparint.

Vulgò tamen hactenus suum cuique vocabulum hæsit; istis Lutheranum, his Calvinianum: Nec valdè improprium; vt natutis minus gratum.

II. INTELLIGENTIORES autem EVANGELII titulo speciosiore suam affectant Sectam palliare. Sed & isto geminato, & cum discrimine: Quo ipso tamen in Sectariz reprehensionis discrimen grauius incurrunt Scyllæum, cupientes vitare Charybdin.

EVANGELICI audire omnes ambiunt; simul in istud abeunt diuersi. Inciduntque sese discrimen: 1. Vt *Lutherani* solùm audire velint EVANGELICORUM. 2. *Caluinista* verò, vt altius sapientes, etiam REFORMATI EVANGELICI.

Id tum coeptarunt; Cùm ab anno 1569. Heidelbergæ seipsos, ex Lutheranis factos Calvinistas, distinxerunt in publico REFORMATOS EVANGELICOS (huc sapientiz profecerant post SAPIENTIAE titulum octennio antè impostum Heidelbergensi Academiae) Cùm Palatinum, Reformatorem Euangelicum primum, cognominarunt PRIMUM: Cùm Canonicorum Collegium extindtorum Heidelbergæ, dictum aliàs semper ad SANCTVM SPIRITVM, instituerunt appellare AD SPIRITVM, omisso prænomine SANCTI:

III. EGO tertio vtrisque nomine, CALVINO-CALVINISTAS. Nec me huiusce vocabuli inuentorem facio; et si frequentatorem primum, & istius Operis mei titulatorem. Neque hoc abs RE, aut RATIONE; aut vllius cum INIURIA.

I. NON ABS RE: Quia perpetuâ quâdam Inductione per singulas quâ Controuersias, quâ particulares Controuersiarum Quæstiones eundo, manifestum reddo, ac irrefutabile, e quibus in quæstionibus, & quatenus Lutherani & Calvinista inter sese Contra Romano-catholicos consentiant aut Omnes, aut Plerique, Potiores, aut Pauciores. Vnde necesse est, vtrisque sibi ipsis nomen parere isthoc, LUTHERO-CALVINISTARVM. Quia autem à potiore fieri denominatio rerum assolet; quantum non iustior tantum, sed magis etiam necessaria, planeque propria Vtrisque vna est illa Nomenclatura? Praesertim cùm ad eò in vnaquaque quæstione totis animis ac votis, re tota, ac sæpe verbis conceptis & sententiis Synodaliter definitis, velut coniurati contumaciter conspirent vnâ omnes contra Romanam, primæuam & Catholicam Ecclesiam.

I. Testis HARMONIA CONFESSIONVM FIDEI Orthodoxarum, scilicet, & Reformatarum Ecclesiarum, quæ in præcipuis quibueq; Europa Regnis, Nationibus, & Prouinciis sacram Euangelij doctrinam PURE profitentur: Sic eam Geneueas in-

PRÆFATIO AD LUTHERO-CALVINISTAS

scripserunt, ac euulgarunt anno 1581. Redduntque ibidem *Catalogum Confessionum, ex quibus ea Harmonia est concinnata iuxta seriem temporum, quo singula scriptæ sunt & editæ.* Et has accensent vndenas: 1. *Augustanam* anno 1530. articulorum 21. 2. *Helueticam priorem* anno 1536. capitum 21. 3. *Basileensem* anno 1532. articulorum 11. 4. *Helueticam posteriorem* anno 1566. capitum 30. 5. *Saxonicam* anno 1551. articulorum 23. 6. *Wirtembergensem* anno 1552. capitum 36. 7. *Gallicam* anno 1559. articulorum 40. 8. *Anglicam* anno 1562. articulorum 21. 9. *Belgicam* anno 1579. articulorum 37. 10. *Bohemicam* Capitum 20. 11. *Suevicam* cap. 23. Quæ Confessiones cum tam Lutheranae sint, quam Caluinianæ; manifestum euadit, earum Confessionistas esse Lutherocaluinistas oportere.

2. Testis sit iuxta Confessiones *Cursus Theologicus Ioan. Scharpii Scotobritanni, compositum, & Genæ excusus anno 1620.* qui iuxta prædictas Confessiones Lutherocaluinisticas disceptat, atque decidit Communes Lutheranis & Caluinianis quaestiones; proprias paucas.

3. Testis est Abraham Scultetus, Palatini Electoris postremi infelix Concionator aulicus & Consiliarius, suis in Decadibus historiae Reformatarum Ecclesiarum, quarum inde ab Lutheri Apostasia repetit origines, ducitque per præcipuos eiusdem Sectatores, ordine temporum consecutos.

4. Testis, (vt complures omittam domesticos Heidelbergæ) accedit ipse Fridericus III. Palatinus, Caluinismi in Palatinatum inuictor ac protector: in sua ad Catechismum Heidelbergensem Præfatione, his verbis; *Ab iis, qui nos proximè antecesserunt, Cognatis nostris, Palatinis ac Electoribus, (qui Lutherani fuerant inde ab Friderico II.) varia utiliter & piè instituta sunt: tamen non ea adhibita est diligentia in illis exequendis, &c.* Lutherana commendat instituta; ad quæ acciuit & Caluiniana; Vt Lutherocaluinistas, etsi minus de nomine, at re ipsa dicendos eos nemo non videat.

II. NEC ABS RATIONE Lutherocaluinistas appello. 1. Quia sicut Lutherani, ab facta in Comitiiis Spiræ, anno 1529 Principū nonnullorū Protestatione, PROTESTANTIVM sibi suisque nomen pepererunt: Sicut ab oblata in Comitiiis Augustæ, anno 1530. Confessione CONFESSIO NISTÆ vocari cœperunt: Sicut ab Euangelii iactatione sese EVANGELICOS appellarunt: Ita Friderico III. in Augustanis Comitiiis pro hæretico proclamato; verū ab Lutheranis, (vt infirmo in fide) suscepto in sortem partemque Confessionis suæ; continuoque post toto Palatinatu Reformationem vrgenti (pulso Lutheranism) ab Confessionis Augustanæ communione sese Palatini EVANGELICOS; ab inuicti Reformatione Caluini REFORMATOS distingarunt: & sic audire hodieque amant. Verū quid *Euangelici Reformati* re ipsa sunt aliud, quam *Luthero-caluinista*?

2. Nouimus Lutheranos esse dicique velle *Protestantes, Euangelicos, Confessionistas*: At ambiunt & Caluinistæ videri, dicique iidem. Et iam diu Lutherani hos pro talibus agnouerunt, & acceperunt in & Synodis, & nupera rebellium VNIONE;

PRÆFATIO AD LECTOREM.

teste Anhaltina Cancellaria, & Consiliis Heidelbergensi in Cancellaria reperta. Quodque caput est; communes Vtrorumque Opiniones fidei pleræque, compluraque Synodalia Decreta communia tenentur. Transeant igitur in commune nomen *Luthero-caluinistarum*; qui in & Nominum, & Titulorum, & Originum, & Synodorum, & Dogmatum, & Vnionis Communem iam diu concesserunt; Qui in parem Ecclesiæ Christi, Imperiique perniciem conspirarunt, in vtriusque euastationem irruerunt: Et perripissent; nî DEVS illorum conatus euertisset. Hac ratio appellationis *Luthero-caluinistarum*.

III. AN INIURIA? Nulla inquam. Docet id facta relatio; docet Sententiarum hoc in Opere meo Luthero-caluinisticarum Inductio & demonstratio; docet Luthero-caluinisticarum consultationum communio, coniurationumque Reuelatio facta. Si tamen Iniuriam irrogari clament; eam sibi impudent: qui, ut rurtur, ipsi malum sibi cacarunt, dum & Scholasticè, & Ecclesiasticè, & Politicè discordes concordant in euerfionem Theologiæ, Ecclesiæ, ac Politicæ Romanæ.

DICES. Discordes sunt, ut qui maximè, Lutherani & Caluiniani.

Noui, inquam: Idque & hoc in Opere Luthero-caluinistico doceo: Verum ita, ut in perpaucis discordes; concordantes autem in plerisque, esse demonstrentur; indice teste à me confecto.

II. OPERIS HVIVSCE
RATIO HÆC EST.

I. *Non scribo hæc Lectoris oblectandi gratiâ; sed causâ vel Informandi nescientem Verâ; vel Confirmandi rectâ sentientem; vel Infirmi perniciter vtriusque repugnantem.*

Sed pugnas hoc in campo iam diu, sæpeque pugnatas iteratò pugnare videbor.

AT, nemini pugno: pugnas solum recolo; & spolia lego: breuique in Synopsi collecta propono.

II. *Deinde PATRIÆ SERVIRE mea studeo Palatina; & in hac tum Pasto-ribus, tum Ouibus.*

1. PASTORIBVS compendiosum paro subsidium ad Controversias Synop-
ticè recolendas animo: ad efficaciter proponendas populo: ad minuendas in Ma-
gna Volumina impensas, & has seu vigiliarum in euoluendo, seu pecuniarum
in coëmendo.

2. OVIBVS, præsertim Palatinis: ut, (quæ ad Catecheticas controversia-
rum conciones aduefactæ, eas altè combiberunt) habeant in hisce meis sui spe-
culum Luthero-caluinismi; & nostræ Orthodoxæ Fidei: in quo vel ab Pastori-
bus audita recolant; aut elapsa memoriæ reuocent; aut minus intellecta penitus
perpiciant; aut ignorata discant.

3. Nî fallor, obstupescet, cohorrescet omnis Electa anima, natioque Luthe-
ro-caluiniana ferè omnis: & vix credet ipsa sibi, vix mihi; se ita credere; aut Lu-
thera-

PRÆFATIO AD LUTHERO-CALVINISTAS

theranam cum Calviniana, aut hanc cum illa Sectam sese sectari. A deo collecta hæc compendia, & intellecta, animos ferient acrius; & altius penetrabunt; & perspicua breuitate efficacius demonstrabunt.

AGE BONE PASTOR ouium Palatinarum:

Ecce Tibi, secundum Deum, laboraui; præsertim vt cui Volumina grandiora seu parare pretio, non suppetit: aut euoluere lecta, minus vacat; aut contrahere fusa; aut sparsa colligere; aut ad tales Confamilium rerum Titulos reuocare non licet, libetue. Si vis; vtere *Partis* ab Illustrissimo Bellarmino; *Paratis* à me; sicque *Partiis*, & *Contractis*. Vtere Compendio; senties, quod absque dispendio; quin perutili impendio ad multorum salutem, & maiorem Dei gloriam.

III. *MODVM* hunc teneo, *talem*. 1. *Luthero-caluinismos Verorumque sapius verbotim; subinde summatim propono: Orthodoxam subiungo doctrinam, & hanc Demonstratam*: Idque in *Luthero-caluinista & Genealogia ex Variis*; in illo tamen, quam in hac, diligentius: in *Antichristo ex S. Scripturis solis*; in *Antipapista Mendace*, ex notoritate, sine seipso notis.

2. *Luthero-caluinistica firmamenta cause, SVASIONES appello, vt quibus Veri nil inest: Ideoque refello; straminea, aut plumbea eleuo, aut despicio: Vel quòd Obgannium experietem Luthero-caluinisticum, (sicut: se talem profiteri allibuerit) Vel, quòd tanta subinde per seipsam elucescat hic Absurditas; isthic Impietas; alibi Futilitas; plerumque Fallitas aut calumniosa, aut blasphemata; non raro contradictoria eiusdem Varietas; sæpè plurium, alia opinantium Andabatarum, Diuersitas: Vt quæ seipsa confodiant, velut in gladium proprium incubuissent Saulina. Hic interim.*

Do Multa Magna Paucis.

3. *Antiluthero-caluinismos, hoc est, in quibus Lutherani & Calviniani dissent; & digladiantur, solum in aëre; non discepto: Suas ipsi Antagonis antagonizent; est vel in tartaro.*

IV. *HOC SPERO ET SPECTO: quòd multi qui in meo Luthero-caluinista, Falsitatem & Veritatem iuxta Demonstratam synopticè conspexerint: 2: Qui in Genealogia, nostratum hæreticorum originem ab damnatis olim Hæresiar- chis descendere perspexerint: 3: Qui in Antichristo, quæ Christi, quæque Luthero-caluinismi sunt, esse contraria intellexerint: 4: Qui in Antipapista Mendace calumnias, tyrophantias, & blasphemias sectariorum vel attigerint: 1: Qui in Thomachia blasphemam Impieratem: 2. In Ecclesiomachia virulentam Dir- titatem: 3. In Mysteriomachia sacrilegam Temeritatem: 4. In Charitomachia desperatam Fidem, simul & præuultuosam cogno, int: SPERO, inquam, quòd*

PRÆFATIO AD LECTOREM:

quòd multi sentire, Viuere, Facereque cum talibus, (nà seipfos desperànt)
exhorrescent.

V. Quo certior Labori meo fructus; animarum conuersioni salus; Gra-
tiæ Dei Gloria respondebit. ITA VOVEO. Vtere: Fruere; Va-
le, & *Vine diu; sed Vine DEO*: Nam viuere Sectis, Mors est.
VIVE DEO.



COPPENSTENII
 LVTHERO-
 CALVINISTICA
 THEOMACHIA,
 DE TRIUMPHANTE
 ECCLESIA;
 HVIVS SVNT VERBUM
 DEI, CHRISTVS, SANCTI, ET
 ANIMÆ PURGATORIA.
 PRÆFATIVNCVLA.

INSTITVENTI mihi vniuersam cui nostri inclinati Nouatorum, LVTHERI in primis ac CALVINI Assellarum, Theologiam, seu verius Theomastygiam, perbreui comprehensam Synopsi, dare sub aspectum, ac in vsvm familiariorē, ad hereticorum reductionem allaboraturis Parochis, ceterisque compendio sine dispendio gaudere solitis; quò cuique manifestior euadat impia VTRORVMQVE DISCORDS CONCORDIA; quæ vnum ipsis commune, hac atate nostra, parit nomen LVTHERO-CALVINISTARVM; Deinde vt perpetua Romanocatholica Fidei Constantia atque Concordia emineat illustrior: Is mihi PARTIVM ORDO visus est commodior, vt exequerer ista:

- I. De Ecclesia Triumphante; in *Theomachia*.
 - II. De Militaribus Ecclesiæ statibus; in *Ecclesiomachia*.
 - III. De Militantis Ecclesiæ Sacramentis; in *Mysteriomachia*.
 - IV. De Militantis Ecclesiæ Coronide, seu gratia: in *Charitomachia*.
 De singulis autem dabo libellos quatuor.
 - I. Luthero-caluinistam.
 - II. Antichristum Luthero-caluinistam.
 - III. Genealogiam Luthero-caluinistam.
 - IV. Antipapistam Mendacem.
- HVC TV ME DEVS ADIIVA:
 FAVETO MARIA, COELITVMQVE
 cæteri Fauete. Vobis milito; Ecclesiæ
 mea Scripta SVBMITTO.

A